

met diem festum; sed mandatur, ut usque ad diem festum compareat citatus, ly usque capiendo exclusive. Accedit disparitas inter hunc, et prioris conclusionis casum: siquidem citatus cum clausula usque potest quilibet die intra terminum præfixum venire: sed quando quis citatur, ut tali die festo compareat, prius venire non potest, nec debet, simulque tali die venire non tenetur; ac proinde necessaria erit nova citatio. Fagnanus, loc. cit. n. 38.

68. *Solvitur instantia.* — Objicies contra primam conclusionem. In c. *Veniens*, 15, de *Recusatione*. legitur, quempiam « ad festum Resurrectionis Dominicæ peremptorie » a Papa citatum fuisse; ergo citatio ad festum non est invalida. Resp. cum Hostiensi ibidem, *ly ad festum esse exponendum pro ly usque ad festum*; et sic stat exclusive, ut proxime dictum.

69. *Citatus ad diem feriatum, an teneatur comparere sequenti die.* — Urgebis cum Gailo cit. lib. *Practic.* observat. 53, n. 2, et aliis contrariæ sententiæ auctoribus. Quamvis citatio ad diem feriatum non arctet citatum pro tali die, arctet tamen ipsum ad comparendum pro die sequenti; ergo adhuc erit valida. Antecedens probatur ex c. *Cum dilecti*, 6, de *Dolo et contum.* ubi dicitur, quod quando quis citatur ad totam causam certo termino sibi ad comparendum præfixo, duo sub hac forma mandentur: primo, ut ad iudicium veniat: secundo, ut illud ad diem præfixum accedat: unde si non possit venire ad diem assignatam, teneatur nihilominus se iudici præsentare, quam primum poterit, post terminum; ergo etiam in proposito citatus ad diem feriatum, tenetur saltem die sequenti comparere. Resp. neg. anteced. ob rationes n. 65 allegatas. Ad ejus probationem, atque ad c. *Cum dilecti*, de *Dolo et contum.* dicitur cum Fagnano in cit. c. *Conquestus*, n. 38, h. t. textum allegatum procedere, ubi citatio, vel mandatum tenuit a principio: nam tunc superveniente impedimento, quominus quis ad diem statutum comparere valeat, suspenditur quidem citatio, non tamen ex toto relaxatur. Secus est, quando citatio a principio fuit nulla, sive invalida, prout accidit in proposito: nam quod nullum est, nullum producit effectum, arg. c. *Illud*, de *Jurepatron.* et l. IV, § *Condemnatum*, ff. de *Re judicat.* cum similibus.

70. *Citatio facta ad diem feriatum ex errore, qui tacite inest, an valeat?* — Instabis. Non

videtur posse negari, quin valeat citatio facta ad diem feriatum ex errore, qui solum tacite inest: ut indicatur in citatione, « Die vigesimo compareas coram iudice super tali causa responsurus; » et dies ille vigesimus incidat in Dominicum, aut alium diem festum; ergo, si in tali casu valida est citatio, ut arctet citatum ad comparendum, non quidem in die festo, sed die immediate sequenti, idem dicendum erit in aliis casibus. Resp. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, et paritatem quia ubi error non exprimitur in citatione, sed dies comparisonis (utpote computandus a die factæ per nuntium executionis, juxta dicta n. 59) per accidens incidit in diem feriatum; ibi non solum tenuit mandatum iudicis de citando, sed etiam citatio, saltem quantum de se erat: unde non mirum, quod taliter citatus teneatur comparere die sequenti non feriato. Secus est, ubi error exprimitur in citatione, dicendo, v. g. « Compareas die Dominico coram iudice: » hic enim nec mandatum iudicis de citando, nec ipsamet citatio, ullatenus valet.

71. *Citatio facta ad diem feriatum ex errore, qui tacite inest, an valeat?* — Additur notanter, « quidquid sit de antecedenti. » Nam non pauci doctores illud negant, asserentes etiam in illo casu non valere citationem: ut Speculator, tit. de *Citatione*, § 1, n. 13; Hostiensis in c. *Conquestus*, n. 3 et Joan. Andreas ibid. n. 2, §. *Tu vero*, et Fagnanus n. 38, h. t. citans alios. Revera enim ejusmodi citatio fit ad diem festum; et consequenter videtur esse invalida.

72. *Cautela in citatione adhibenda.* — Consultius igitur est, atque a cautis et eruditis iudicibus in praxi receptum, ut ad majorem cautelam in citatione adjiciatur sequens clausula: « Compareas tali die: quod si illa non fuerit juridica, compareas die sequenti juridica. » Hac quippe ratione tollitur omnis dubitatio de validitate citationis, et præcaventur quæcumque controversiæ alioquin forsitan suborituræ, si nuntii citationem exquerentur tali die, ut terminus comparendi, qui demum currere incipit a tempore factæ executionis, caderet in diem feriatum: quod quidem iudex ob locorum distantiam, et alia impedimenta, vel circumstantias prævidere non potuit. Abbas in d. c. *Conquestus*, n. 20, §. *Ad secundum*, h. t.; Gailus, lib. I. *Practic.* observ. 53, num. 2 et 3; Vallensis h. t. n. 13 et alii.

73. *Captura, seu incarceration reorum, diebus feriatis est prohibita.* — Queritur IV. An diebus feriatis possit fieri captura, seu incarceration reorum? Resp. I. Inter actus judiciales tempore feriato prohibitos etiam connumeratur captura, seu incarceration reorum: adeo, ut nullus die festivo, sive pro debito civili, sive pro crimine capi, seu incarcerari possit; nisi sit periculum in mora. Ita Pirhing, h. t., n. 33; Farinacius, lib. I, *Praxis criminal.* quæst. 27, n. 106, allegans alios, atque hanc conclusionem post Baldum in tractat. de *Carcer.* cap. 1, n. 6 et 9, intelligens non solum de diebus feriatis in honorem Dei, sed etiam de feriis inductis ad utilitatem hominum, ut puta messium, et vindemiarum. Conclusio hæc liquet ex cap. 1 et ult., h. t. et l. fin. c. de *Feriis*; ubi extra casum necessitatis, vel pietatis, omnis strepitus atque executio, exactio et apparitio iudicii forensis prohibetur: unde paulo superius, videlicet n. 54 et seqq. etiam executionem citationis verbalis diebus feriatis fieri posse, negatum fuit.

74. *Nisi sit periculum in mora. Debitor de fuga suspectus, potest die feriato incarcerari.* — Additur notanter, « nisi sit periculum in mora. » Tali enim stante periculo subintrat causa necessitatis, vel pietatis, ob quam secus esse dicendum, patet ex cit. cap. ult. h. t. Id ipsum declaratur inductione: sic quippe, loquendo de causis civilibus, non procedit data conclusio in debitore suspecto de fuga: talis enim etiam die feriato potest incarcerari, secundum Glossam in l. ult. c. de *Feriis*, ibi: « Nisi timeatur de recessu; » et notat Abbas in cap. ult. n. 22, et Felinus ibid. n. 14, de *Judiciis*; Covarruvias, lib. II, *Var. resolut.* cap. xx, n. 14; Sigism. Scaccia de *Judiciis*, lib. II, cap. v, n. 28; Jason in § *Superest*, n. 77, Instit. de *Actionib.*; Farinacius cit. quæst. 27, n. 107, allegans alios cum communi.

75. *Malefactor pro crimine gravi, v. g. latro, vel homicida, potest diebus feriatis capi: secus pro levibus delictis.* — Deinde loquendo de criminalibus, potest malefactor pro crimine, præsertim gravi et enormi, etiam diebus feriatis in honorem Dei capi, arg. l. III, cum ibi notatis. c. de *Episcop. audient.* Farinacius cit. quæst. 27, n. 109; Sigism. Scaccia d. lib. II, cap. vi, n. 12, et alii. Siquidem ex captura facinorosorum hominum sequitur purgatio provinciæ, et salus plurimorum innocentium, l. *Provinciarum*, c. de *Feriis*.

Accedit, quod, si tales scelerati diebus feriatis capi, et incarcerari non possent, subesset periculum, ne fuga elaberentur: unde subintrat ratio necessitatis, ad publicam utilitatem permittens capi reos gravium seu enormium criminum, v. g. latrones, homicidas, etiam diebus feriatis in honorem Dei. Secus dicendum de delictis levibus, et ubi nullum subest periculum fugæ: quia propter talia levia non debet quis carcerari in die feriato: tunc enim cessant allatæ rationes; simulque multa conceduntur propter criminis enormitatem, quæ alias non concederentur, ut inquit Bald. in tract. de *Carcer.* cap. 1, n. 9; Farinacius, ubi supra, n. 110.

76. *Receptio testium ad juramentum, est actus judicialis. Et nequit valide fieri diebus feriatis.* — Queritur V. Utrum diebus feriatis possit fieri receptio testium, horumque examen? Resp. I. Receptio testium ad juramentum, est actus judicialis. l. *Jurisjurandi.* c. de *Testib.* Atque adeo receptio ipsorum una cum juramento nequit valide fieri diebus feriatis: nisi aliud necessitas suadeat. Ita Speculator tit. de *Feriis*, § *Sequitur*, n. 2, 3 et 6. Abbas in cap. 1, n. 9, h. t. Farinacius de *Testib.* quæst. 80, n. 55, asserens, quod testes recepti die feriato nihil probent; et alii. Idque patet ex cap. 1, h. t. ubi prohibitum legitur, ne diebus festivis « sacramenta, nisi pro pace, vel alia necessitate præstentur. » Concordat cap. ult. eod. ubi judicialis strepitus adeo diebus jubetur conquiescere feriatis, ut in feriis Domini (« nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat») consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari, etc.

77. *Nisi aliud necessitas, vel pietas suadeat, quod exemplificatur.* — Additur notanter, « nisi aliud necessitas, vel pietas suadeat; » ut puta, quando est periculum in mora, seu verisimiliter timetur de testium morte, aut diuturna eorum absentia, vel hujusmodi. Quia certum est, tunc valide et licite admitti receptionem testium ad juramentum, juxta allegatum textum cit. cap. ult. juncta Glossa fin. et doctores ibid. h. t. Item, quando reus esset carceratus, et ipse instaret pro processu, et expeditione: quia tunc partim ob necessitatem, partim ob pietatem, seu ne diutius cogeretur is manere in vinculis, posset testium juramentum, ac depositio recipi. Sigism. Scaccia lib. II, de *Judic.* cap. v, n. 70 et cap. vi, n. 8, citans alios.

78. *An testes possint eorumque depositio judicialiter recipi diebus feriatis, si antea præstiterunt juramentum? Ponitur sententia negativa.* — Resp. II. Utrum vero testes valide licite possint examinari, eorumque depositio judicialiter recipi diebus feriatis, postquam præcedenti die juridico præstiterunt juramentum, variant doctores. Et quidem negativa sententia fundatur in c. *Quoniam*, 11, de *Probation.* ubi inter cæteros actus judiciales expresse connumerantur testium depositiones. Accedit, quod in l. ult. c. h. t. generaliter decernatur, ut dies festus a cunctis executionibus excusetur, nulla quemque urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit dies ille a cognitionibus alienus, præconis horrida vox quiescat, respirent a controversiis litigantes. » Atqui istud non verificaretur, neque observaretur, si dictis diebus festis posset fieri examinatio testium, horumque depositio recipi, etiam extra casum necessitatis, seu pietatis; ergo. Ita Suarez de *Diebus festis*, lib. II, cap. III; Vallensis h. t. n. 14; Sannig. eod. cap. II, n. 5.

79. *Sententia affirmativa est in praxi recepta; ejusque ratio.* — Affirmativam nihilominus sententiam tenet Glossa in Clem. 1, §. *Judices.* et Imola, et Ancharanus, et Barbosa ibid. n. 2, de *Offic. delegat.*; Felinus, c. *Licet causam*, n. 19, de *Probat.*; Speculator et Abbas. ubi supra Menochius, de *Arbitrar. judic.* lib. I, quæst. 30, n. 15; Mascardus, de *Probation.* in Proëm. quæst. 5, n. 91; Farinacius, d. quæst. 80, n. 5, citans plurimos alios, et subjungens, quod ita practicet curia Romana, et totus mundus. Accedit ratio, quia examinatio testium refertur seu trahitur ad tempus præstiti per eos juramenti; ergo sufficit, istud in die juridico esse depositum. Antecedens est Bartoli in l. *Si quando*, n. 11, c. de *Testib.* Felini, et Menochii loc. cit. et aliorum: siquidem testimonii fides, et auctoritas, pendet a juramento testium tanquam a radice: unde inspicitur juramentum tanquam principium, arg. l. *Qui balneum.* et l. *Potior.* ff. *Qui potiores in pignor. hab.* At virtus testimonii trahitur ad illud, arg. c. *Aqua*, de *Consecrat. eccles.* Accidit, quod examinatio testium secundum se non sit actus judicialis, sed extrajudicialis; unde et secreto fieri debet. Ac per hoc patet ad rationes oppositæ sententiæ.

80. *In feriis observandis attendendus est locus judicis.* — Quæritur IV. Utrum in feriis

observandis sit attendendus locus judicis, rei, vel actoris, quando in uno eorum loco sunt feriæ, et non in altero? Resp. cum Abbate, loc. cit. n. 22; Vallensi, n. 16, h. t. et communi aliorum, in tali casu esse attendendum locum judicis. Ratio est, tum quia in præparatione judiciorum, seu ubi agitur de ordinatione judicii, attenditur consuetudo fori sive loci, ubi judicium exercetur; non autem consuetudo loci litigantium, arg. c. *Quod clericis.* 9. de *Foro compet. et l. Testium.* § fin. ff. de *Testib.* estque jam dictam supra tit. I. de *Judiciis.* § 8, n. 223, et 224; tum quia alias contingere posset, quod actor, vel reus haberet ferias duplicatas, nempe et regionis suæ, et loci judicis: quod est absurdum, et favens prolongationi litium.

TITULUS X.

De Ordine Cognitionum.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Lite jam contestata, præstitoque juramento calumniæ et expletis dilationibus a jure vel ab homine concessis; solet non raro reus vicissim quamdam quæstionem, sive per modum actionis, sive (ut frequentius accedit) per modum exceptionis, contra actorem proponere. Et quia dubitari posset, quo ordine tunc ejusmodi causæ cognosci debeant, seu quædam earum prius sit discutienda; merito præsens rubrica subjicitur.

2. *Rubrica hæc non est superflua, et differt ab aliis.* — Nec dicas hujusmodi rubricam esse superfluam, eo quod superius tit. IV de *Mutuis petitionibus*, jam fuerit actum, quo ordine de pluribus quæstionibus cognoscatur; atque inferius tit. XXV de *Exceptionibus*, hoc ipsum amplius tractetur. Resp. enim cum Abbate ad rubric. h. t. et aliis, negando assumptum: quamvis enim hi tituli, eorumque rubricæ, habeant aliqualem proximitatem inter se, atque incidenter tractent quandoque de iisdem, nihilominus principaliter tractant de diversis. Siquidem rubrica de *Mutuis petitionibus*, principaliter tractat, an reus conventus possit reconvenire actorem, et coram quo judice, et qua ratione id fieri debeat. Deinde rubrica de *Exceptionibus*, principaliter agit de ipsismet exceptionibus, et qua ratione iisdem veluti clypeis, et loriceis, rei sese

contra actorem defendere valeant. At vero præsens rubrica agit principaliter de ordine in pluribus actionibus, sive per modum reconventionis; sive per modum exceptionis, aut alia ratione institutis, observando; atque declarat quo ordine plures actiones, quæ interdum in eodem judicio, atque inter easdem personas concurrunt, sint cognoscendæ seu quænam earum prius sit discutienda, atque terminanda. Unde

3. *Ordo cognitionum, quid?* — Quæritur I. Quid sit ordo cognitionum, et quænam regula generatim circa eum observanda? Resp. I. Ordo cognitionum apte describitur, dicendo, quod sit modus et ordo, servandus a judice in examine plurium quæstionum, quæ nonnunquam in eodem judicio circa easdem personas concurrunt. Ita Pirhing h. t. in principio; Sannig eod. cap. I et II et alii. Ubi ly « modus et ordo » ponitur loco generis; cætera stant loco differentia.

4. *Regula est, quæ illa causa prius sit tractanda, a cujus decisione dependet altera.* — Resp. II. Circa ordinem cognitionum sit regula generalis, quod ubi plures concurrunt quæstiones seu causæ, quarum una dependet ab altera, illa prius in judicio tractanda atque decidenda sit, a cujus decisione dependet altera. Ita Joan. Andreas in c. *Tuam.* n. 3; et Abbas ibid. n. 5, h. t.; Engel eod. n. 1; Vallensis ibid. n. 1, hanc regulam intelligens, sive dein plures illæ causæ ab uno sive a diversis, sive agendo sive excipiendo proponantur, et alii communiter. Ratio est, quia omne superfluum in judicio est resecandum, arg. cap. II, de *Probation.* atqui superfluum foret in aliqua causa procedere, cujus decisio pendet a decisione alterius, nisi prius hæc decidatur. Accedit, quod alioquin præposterat alium causarum cognitio earumque confusio, ipsummet judicii ordinem perturbaret; ut dicitur in c. *Tuam.* n. 3, h. t. Idem declaratur inductione.

5. *Idque exemplificatur.* — Hinc quippe, si mulier petat aliquem in virum sibi restitui, vir autem mulieri objiciat exceptionem consanguinitatis; prius cognoscendum est de consanguinitate, quam de contractu matrimoniali. Siquidem exceptione consanguinitatis probata, quæstio principalis perimitur; cum de jure non possit dari matrimonium inter consanguineos. Textus est in cap. 1. h. t.

6. *Idque exemplificatur.* — Similiter, si quis petat hæreditatem paternam tanquam hæres

ab intestato, et ipsi opponatur exceptio natiuitatis: allegando nimirum, quod non sit filius defuncti vel saltem non natus de legitimo matrimonio, sicque succedere non debeat: ante omnia quæstio filiationis aut legitimitatis, discutienda et terminanda est, prout decisum habetur in cit. c. *Tuam.* h. t. Quia cum causa successionis omnino dependeat ex causa natalium, si hæc non prius terminata judex inciperet causam successionis, inani labore et se et litigantes fatigaret, ordinem judicium perturbaret, atque diversis processibus negotium intricaret.

7. *Ac procedit etiam in qualibet exceptione peremptoria.* — Hoc ipsum procedit in qualibet exceptione peremptoria: nam ea prius debet discuti, antequam diffiniatur principale negotium. Desumitur istud aperte ex cap. *Intelleximus.* 1, h. t. ac notat Abbas ibid. nu. 1, et Fagnanus n. 8, citans alios. Ratio est, quæ supra, siquidem exceptio peremptoria est, quæ jus actoris perimit, ejusque petitionem totaliter elidit; ergo prius de ipsa est cognoscendum. Nam probata exceptione peremptoria illico apparet, quod quæstio principalis, ipsaque petitio actoris, totaliter perimitur; adeo ut de hac non amplius oporteat cognoscere: sin minus, pariter apparebit, quod oporteat ipsum etiam negotium principale discutere.

8. *Quod exemplis declaratur.* — Hinc præter jam allegatum casum objectæ exceptionis peremptoriæ consanguinitatis matrimonium dirimentis, de quo fit mentio in cit. cap. 1, h. t. aliud hujus exemplum habetur in c. *Super eo.* § de *Renuntiat.* Ubi, cum quidem beneficia ecclesiastica reposcerent, illis autem ex adverso objiceretur spontaneæ abjuratiōis exceptio, pontifex jubet, ut ante omnia inquiratur, num talis abjuratio facta fuerit: et quidem spontaneæ, non autem vi, aut metu. Nam probata tali exceptione spontaneæ abjuratiōis, utpote peremptoria, clarum foret, quod illa sua beneficia amplius reposcere non valerent.

9. *Procedit insuper in exceptionibus dilatoriis.* — Pari ratione id ipsum procedit in exceptionibus dilatoriis. Nam et hæc ante negotium principale sunt cognoscendæ; quinimo regulariter proponi, discuti, atque probari debent ante litem contestatam, c. *Pastoralis.* 4. de *Exceptionib.* et c. *Inter monasterium.* 20 de *Sentent. et re judicat.* Unde proposita contra actorem per reum exceptione dilatoria, antequam judex procedat in negotio princi-